

31. Verum utrumque pronunciatum Apostolicum, partim ad prescientiam DEI, partim ad definitum eius consilium hoc sensu & respectu referendum est, quod Deus promiserit quidem Filium suum libidini Iudeorum, ut patrare potuerint adversus ipsum ea, ad quae perpetranda non ex arcano quodam DEI consilio impellebantur: Sed quae Deus ab aeterno ipsos sponte sua in eum designaturos praeviderat: At ita promiserit, ut partim terminos & metas Iudeorum libidini praefixerit, partim vero ad finem longè saluberrimum eandem determinarit.

32. Commendat autem totum istum exinanitionis Christi actum maiorem in modum, quod nihil prorsus impatientiae & reluctationis in eo fuit deprehensum, nihilo magis ac in ove, ad mactationem ducta. Ies. 53, 7.

33. Nam quod calicem deprecatus legitur non suam à patris voluntate seiunxisse: sed de veritate humanae naturae indicium praebuisse cum Sanctis patribus iudicamus. Epiph. l. 2. Tom. 2. heresi 69. in Ariomanitas. Iustin. Mart. Quest. 105. ad Orthod. &c.

34. Vnde ipse statim subiicit: Veruntamen non ut ego volo, sed ut tu vis. Cùm enim dixit, Non ut ego volo, de se ut homine & naturali eius voluntate, quae sui appetit conservationem, sine peccato: Deinde cùm infert, sed ut tu vis, de seipso etiam loquitur.

Matth.
26, 39.